

APPENDIX

AD OPERA S. P. BENEDICTI.

SCRIPTA SUPPOSITA.

EPISTOLA SANCTI BENEDICTI

AD SANCTUM REMIGIUM BHEMORUM ANTISTITEM MISSA.

Dominico sacerdoti Remigio, et frater et conservus in Christo Jesu, cœnobialis vitæ humilis cultor Benedictus, æternæ benedictionis munus.

Sanctissimo tuo congratulans profectui (sacerdos Regis summi), quia summi capitis membra sumus, quod mihi deesse senti in me, totum (laus Deo) possidere me credo in te. Ecce quod mea peccata fieri prohibuerunt, tuæ auctoritatis sacerdotalia habent merita: et desinant amodo circa me rumores hominum, cum apud te constet omnium esse perfectionem virtutum. Hanc captivam et ab antiquo hoste obsessam, tuæ delecto celsitudini; quatenus pro ejus liberatione sacram hostiam offerre Deo debeas, et meam pravitatem victoria ipsa non minimum lætifices. Vale, sacerdotum Christi lepidissime calcule.

Cum vero signatis litteris idem hospitibus valesceret, proprium nuntium cum illis in Galliam destinavit, qui beato Remigio tantæ humilitatis munus offerret. Cumque Rhemensium urbem intrarent, et sanctus Domini pontifex tanti patris apices providisset, lacrymis uberimè profusus, in hæc verba prosilivit: Gratias tibi, Christe Redemptor clementissime, qui nostra tempora tanta sublimasti gloria, ut in speciali famulo tuo Benedicto tota te per orbem magnificet Ecclesia. Surrexitque continuo gloriosus archimandrita Remigius, et episcopali se infula more solito trabeavit: atque oblaturus Deo sacrificium, ecclesiam concitus intravit. Cumque miserabilis illa parentum solatio in ecclesiam venisset, versipellis vaser ille per os puellæ hæc verba invitus protulit: O sacerdos Remigi, noli adversus Benedictum gloriari: quia non per tuum impertum, sed per ejus humilitatem exire cogor. His dictis, liberata est mulier: et omnes qui audierunt dederunt gloriam Deo, qui est mirabilis in sanctis suis et benedictus in sæcula.

Epistolam hanc una cum miraculo in fine epistolæ contento offert Hincmarus. Rhemensis antistes, successor sancti Remigii et Vitæ ipsius scriptor antiquissimus: florebat siquidem tempore Caroli Magni ante annos octingentos. Et quumvis in testamento S. Remigii quod est apud Brissonium in suis Formulis, ipse miraculum istud sibi ascribat de curata filia cujusdam nobilis nomine Benedicti, non abnuimus multis, siquidem potest ascribi miraculum illud, primo quidem et præcipue missæ sacrificio, secundo sancti Remigii ardentissimis precibus, tertio et humilitatis sancti Benedicti, quam mirum quantum præ se fert tota hæc epistola, ut et tota vita et doctrina ipsius. Quod si adhuc irrepsisse hac in re errorem ob similitudinem nominis Benedicti, suspiceris, cur non potius arrideat conjectura opposita: fuisse scilicet horum nominum convenientiam occasionem aptissimam sancto Remigio agnoscendi divi Benedicti, cujus sanctitatis fama undique volabat, maxime autem in Gallia nostra per sanctum Romanum, qui sancto Patri sanctæ conversationis habitum dederat; cui cum esset dictum divinitus ut illis parceret locis, quia alter amicus aderat, in Galliam venerat: ubi monasterium Fons Regis nominatum ædificabat in territorio Antisiodorensi, tempore quo sanctus Maurus in Galliam venit, teste Adrenaldo Floriacensi qui florebat anno

A 890. Lib. 1 de Miraculis S. Benedicti, cap. 8. Eandem epistolam affert appendix Chronici Cassinensis, et Arnoldus Uvion Ligni Vitæ lib. 1, qui et ait eam sæpe diversis in locis impressam. Eam vidi excusam una cum Regula et ipsius explicatione facta per cardinalem Turrecremata, anno 1517.

SERMO SANCTI BENEDICTI

In mortem S. Placidi.

Sicut patris est gaudere in suorum profectibus filiorum, ita et filiorum est augmentum patris sua lucra reputare. Quapropter noveritis dulcissimum et amantissimum filium meum Placidum, martyriali trabea adornatum, migrasse ad Dominum. Jam enim meis interioribus oculis ejus immaculatam hostiam et Deo beneplacentem deduxi in alta cœlorum. Hunc nempe, quo illum a patre suo suscepi, memineram esse mortalem, nec sefellit opinio. Nunc non est quod conquerar, habeo in quo Deo gratiam agam: quia semper optavi ut de fructu cordis mei omnipotenti Deo sacrificium offerretur. Nihil enim hoc sacrificio habui pretiosius, nihil amabilius, nihil charius: elegit namque Placidus pro Christo momentaneam mortem, et pervenit ad eum, in cœlesti solio ad dexteram Patris regnantem. Ob id enim Christus pro omnibus mortuus est, ut nos non nobis, sed Christo viveremus. Grates autem omnium refero Redemptori, quia ingratus esse non possum. Congaudendum enim mihi est, quod talem discipulum habuerim, non dolendum quod amiserim. Nam illud munus fuit, hoc debitum est: functus sum famulatu Placidi discipuli mei quaudiu Deus voluit, et post, qui dedit recepit. Quod naturæ communis fuit, Placidus pro Christo posuit, et quod singularis est gratiæ, meruit. Cur autem ego doleam mihi Placidum filium meum ereptum, cum ob salutem nostram Deus Filio suo non parcens, pro nobis omnibus tradidit illum? Quis unquam exceptus est a conditione moriendi, qui non est exceptus a conditione nascendi? Non ergo Placidum doleam filium, quem scio transisse de morte ad vitam. In illius namque morte gaudendum est, non dolendum, quia illam pro veritate gustavit. Nam cur ego te, Placide, fili charissime, doleam, qui mihi sic ereptus es, ut omnium esses? Non enim perdidisti usum naturæ, sed commutasti, ante corpore separabilis a Deo existens, nunc individuus cum Deo permanens: felicia verba que in te expendi! felices labores quos in te sustinui! Dum viveres mecum, non te Tertullii patricii patris tui amor a me divellere potuit: nec ipse mihi unquam patrem prætulisti, usquequo ad æternam vitam migrasti.

Sermonem istum videre potes apud Surium, tom. VII, in Vita S. Placidi, quæ ascribitur Cordiano S. Benedicti discipulo; eundem affert appendix Chronici Cassinensis, in fine epistolæ missæ a Siculis ad S. Benedictum, et citatur ab Arnaldo Uvion-Ligni Vitæ, lib. 1 cap. 1. Conjecturam probabilem facit eum esse S. Benedicti, ultra supradictas auctoritates, convenientia styli illius cum stylo sermonis præcedentis habiti in discursu S. Mauri, qui a multis auctoribus antiquis C. Benedicto ascribitur.

OBSERVATIO CRITICA IN OPUSCULUM SUBSEQUENS.

Hoc sequens opusculum non pro vero fetu magni S. Benedicti vendere præssumimus, quamvis id ad calcem Regulæ Benedictinæ, jam anno 1593, Arnoldus Wion typis mandare curaverit, quod etiam postea Patres congregationis Bursfeldensis, anno 1610, Parisiis præstitorunt, atque Cistercienses suis statutis inseruerunt; imo et illud magnæ Patrum Bibliothecæ inscribere voluerunt editores Lugdunenses. Nam celeberrimus Mabillonius de epistolis ad S. Remigium loquens, altum silentium de hoc opusculo observat, neque epistolas illas ut veras et genuinas existimat, etiamsi S. Benedicti

A sermonem in discessu S. Mauri habitum agnoscat, sed aliis verbis proferat. Hinc etiam clarissimi Calmetius hoc opusculum S. Benedicto Anianensi abbati attribuit, cujus quidem ardens observantiæ monasticæ zelus maxime enituit, in scribenda Regularum monasticarum Concordia. Ut sit, antiquissimum est monasticæ disciplinæ monumentum, dignumque proin ut inter cœdificis Holsteniani additamenta numeretur, cum eius antiquitatem satis superque probent tot doctorum virorum testimonia ad calcem opusculi appoita.

ORDO MONASTICUS

S. P. BENEDICTO ATTRIBUTUS.

Qualiter fratribus in monasterio religiose ac studiose conversari, ac Domino militare oportet.

Imprimis nocturnis horis, cum ad opus divinum de lecto surrexerit frater, primum signum sibi sanctæ crucis imponat, per invocationem sanctæ Trinitatis; deinde dicit versum, *Domine, labia mea aperies*; postea psalmum: *Deus, in adjutorium*, cum *Gloria Patri*. Tunc provideat sibi frater corporeæ necessitati naturæ, et sic ad oratorium festinet, psallendo psalmum: *Ad te, Domine, levavi animam*, usque ad finem, cum summa reverentia et cautela intrans, ne alios orantes impediatur: et profectus in locum congruum, effundat preces in conspectu Domini, magis corde quam ore: ita ut illius vox vicinior sit Deo quam sibi: et tunc referat gratias Deo, dicendo:

Gratias tibi ago, omnipotens Deus, qui me dignatus es in hac nocte custodire; deprecor immensam clementiam tuam, ut concedas mihi venturum diem sic peragere in tuo servitio cum humilitate et discretione, quatenus tibi complaceam. Amen.

Tunc omnes sint parati, stantes in loco suo in choro per ordinem, ut cum signum novissimum cessaverit, cum summa humilitate et honestate referant laudes Deo in conspectu angelorum, et si forte alicui frequens tussis aut phlegma evenerit ex pectore aut naribus, post dorsum projiciat, aut juxta latus. Caveat autem curiose ut infirmis fratribus non vertatur in nauseam; sed semper, quod spuitur, pedibus conculcetur: ut dum ad orationem curritur, vestimenta eorum non sordidentur. Quod omnibus locis eis observandum, sive sint in ecclesia, sive in refectorio, sive in portica, et in omni loco et conventu, ut, quod spuitur, pedibus conculcetur.

Post expletionem vero nocturnæ laudis, in illo intervallo, summum silentium fiat, tam in voce quam in incessu, sive sono alicujus rei: ut liceat unicuique sine alterius inquietudine, peccata Domino confiteri, et veniam, et remissionem pro ipsis flendo postulare.

Cum vero inchoante aurora diei signum insonuerit, omnes festinent cum humilitate cordis, quasi ad Deum clamantes, ac misericordia sibi placabilem factum, matutinis laudibus prompta voluntate, vocum modulis, nec nimis producte, nec multum correpte, cum summa gravitate et honestate officium persolvere divinum: et hæc autem matutina laude summum et præcipuum silentium fiat in orando vel loquendo.

Convenientes vero fratres ad primam, postquam completum fuerit ipsius officium, ante psalmum quinquagesimum, donent confessiones suas vicissim, pariter supplici voto pro se certatim orantes. Hoc expleto veniant omnes ad capitulum, et conversi ad orientem, salutent crucem et cæteris fratribus se undique humiliant, similiterque faciant in omni conventu. Post recitata nomina sanctorum, quorum festina crastina dies excipiet, surgentes pariter dicant versum: *Preiosa*, quem sequatur oratio a priore; deinde versus: *Deus, in adjutorium*. Tribus vicibus, cum

B *Gloria Patri*. Surgentes iterum, dicant versum *Rrespice, Domine, in servos tuos*, cum *Gloria Patri*. Post hunc versum sequatur oratio a priore, *Dirigere et sanctificare, Domine*, etc.

Post hæc, qui culpabilis est, veniam postulet, et secundum modum culpæ, vindictam recipiat; et tam in claustrum quam in quolibet conventu vel loco, veniam postulet frater, ante dominum abbatem, vel præpositum, aut decanum, aut quemlibet de senioribus: cum enim dixerit senior, *Quæ est causa? frater ille qui veniam postulat, respondeat, Mea culpa, domine*; si vero aliud quodcumque dixerit, judicetur exinde culpabilis. Postea dicatur a domino abbate vel cæteris, a quibus obedientia est facienda, quidquid est necessarium, et utile fuerit in communi monasterii: frater qui veniam postulat pro culpa, quanto plus se humiliat, et culpabilem asserit, tanto misericordius et levius a priore judicetur, necesse est enim ut omnes negligentias nostras, vel cogitationum, vel linguæ, vel operis, in præsentis vite per humilem confessionem et humilitatem semper judicemus, ut non post mortem nos reos faciant.

Surgentes a capitulo, atque ad opera exeuntes, simul omnes circumstantes dicant versum, *Deus, in adjutorium*, etc. *Gloria Patri*, et orationem dominicam, flectentes genua. Post orationem dominicam, dicat prior: *Adjutorium nostrum in nomine Domini*. Et respondentibus omnibus: *Qui fecit cælum et terram*, vadant omnes simul aut separatim ad opus injunctum sibi, custodientes silentium, decantent psalmos, aut *Pater noster*, bini aut singuli, juxta id quod congruum est, nihil aliud loquentes: nisi forte de ipsa arte necessarium fuerit dicere, quod dicatur caute.

Cum ad opus divinum horis canonicis auditum fuerit signum (sicut continet Regula), relinquunt statim quidquid in manibus est, sic tamen ut non pereat: et tunc conveniant simul omnes ad osium oratorii, aut certe sint parati ad obedientiam, et dicant versum: *Benedictus es, Domine Deus, quia audivisti me, et consolatus es me*, tribus vicibus, priore incipiente, subjungentes, *Gloria Patri*, flectentes genua; oratione completa, surgant et dicat prior: *Misereatur nostri omnipotens Deus*, et respondeant omnes, *Amen*.

A calendis Octobris usque ad Pascha, tertia hora hoc faciant: a Pascha autem usque ad calend. Octobris, hoc hora sexta et nona fiat.

Omni tempore, in ecclesia summum silentium teneatur, excepto hoc quod ad aures Dei pertinet: et nullus ex fratribus alium puro nomine aliquando audeat appellare, sed (sicut decet) seniores minores, suos fratres nominent, juniores vero seniores suos nonnos, quod est patris reverentiæ; abbas autem dominus et pater ab omnibus vocetur.